Brunoni.

317.

Inscripsit mihi, et meâ manu offerendum Principi misit non illepidum poema Belgicum, castô novitatis insolentiâ gratus Franciscus quidam Le Blon, ignotus mihi vel de nomine; ac tanto ignotior, quod epistolae nec locum domicilii mei dictum adscribere voluerit. Fallor autem nisi per crepusculum recordor olim eius mentionem a te mihi factam fuisse. Id si ita est, mi Bruno, velim Ecc. mnemosynon chartaceum meo nomine ~~ipsi~~ transmittas, ~~vel~~ ac, si opus sit, remissâ apochâ, nummos ~~etiam~~ [ipsos] à Thesaurario procures. Si erro, nec hominem ~~ipse~~ [iste] nosti, poteris diploma penes te asservare, donec innotuerit; quod Bibliopolarum aut studiosorum ope facile opinor fiet. Vale. Arenaci in castris XIII Cal. Oct. 1641.

de [successione ac] ~~pro~~gressu studiorum tuorum saepe me a te certiorem fieri expedit ac iuvat.